



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De SS. Dominica, Georgio Chozebite. Æmiliano Confessore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Moritur 10
Octob. anno
425.

Laudatur a
Cælestino Pa-
pa.

quod si moram feceris, non me vita fruentem repe-
ries. Neque cum istud diceret aberravit a vero :
quippe vigesimo primo anno, quo Episcopatum ges-
serat, vi Idus Octobris morte occubuit, ad undeci-
mum consulatum Theodosii, et Cæsaris Valentiniani
primum. Imperator Theodosius Thessalonica rever-
tens, ad funus ejus efferendum non pervenit. Nam
pridie quam Imperator Constantinopolim ingredere-
tur, Atticus sepulchro conditus fuit. *Hactenus Socrates.*
Eadem fere Nicephorus lib. 14, cap. 24, quibus reliqui
omnes in anno mortis et tempore dignitatis Episcopalis
administratæ consentiunt. Denique; S. Cælestinus
Pontifex epistola 7, quæ extat tomo 1, Concil. Ephesini
cap. 17, scripta ad Nestorium Theodosio xiii, et Valen-
tiniano iii, AA. Coss. (is est annus Chr. DCXXX.) hoc
eum elogio exornat : Sanctæ recordationis Atticus,
Catholicæ Magister fidei, et vere B. Joannis etiam
ad ista successor, eos (Pelagianos) ita persecutus est
pro Rege communi, ut iis nec standi quidem illic
copia præstaretur. Mansit nos post ejus exitum solli-
citudo vel maxima, cum successor ipsius, utrum
etiam in ejus fide succederet, quæreremus, quia dif-
ficile est continuari, quæ bona sunt: nam sibi sæpe
alternis vicibus mala succedunt. Habuimus tamen

post hunc, a quo eram continuo deserendi, sanctum
Sisinnium celebratum simplicitate et sanctitate colle-
gam, eam fidem, quam invenerat, prædicantem.
Eum celebrant Græci in Menæis xi Octobris. Sisinnio
successit Nestorius, quo ob impietatem in exilium acto,
fuit Episcopus Maximianus, cujus ante meminimus. Hic
successorem habuit S. Proclum, qui (ut verba Socratis
lib. 7, cap. 40, huc transferam) eum ad ætatem viri-
lem perveniret, multum cum Episcopo Attico versa-
tus est, illiusque scriba fuit. Atticus ad gradum
diaconatus evehit. Ac cum presbyterii honore dignus
putaretur, a Sisinnio, ut supra demonstravi, ad Epi-
scopatum Cyzici designatus est. Sed hæc jam ante
factitata erant. Id temporis vero sedem Episcopalem
Ecclesiæ Constantinopolitanæ obtinuit. Vir erat
morum probitate præter ceteros eximius. Quippe in-
stitutus ab Attico omnes ejus virtutes sedulo imita-
tus est. Tolerantiam, quæ etiam Atticus præditus fuit,
multo magis quam Atticus excoluit. Nam Atticus
cum tempus postularet, hæreticis terrore incussit.
Proclus omnibus se mansuetum et facilem præ-
buit, etc. De S. Proclo cum Martyrologio Romano
fusius agemus xxiv Octob.

DE SS. DOMINICA, GEORGIO CHOZEBITE. ÆMILIANO CONFESSORE.

CIRCA ANN.
CDLXXV.
VIII JANUARI.

Dominicam, sive Dominicam, ceteris Latinorum
fastis ignotam, uti et Georgium Chozebiten, et
Æmilianum, in *Addit. ad Usuardum retulit*
Molanus, his verbis : Die octava sanctæ Ma-
tris Dominicæ : et sanctorum Patrum Georgii Choze-
bisti, et Æmiliani Confessoris. De iis Græcorum
Menæa. S. P. N. Georgii Chozebite, et S. M. N.
Dominicæ, et Æmiliani Confessoris.

Vita Domi-
nica, ex
Menæis.

2 De Dominica deinde ista commemorant eadem *Me-*
næa : Vixit hæc Theodosii Magni imperio, provixit-
que usque ad Leonem et Zenonem Augustos. Cartha-
gine in Africa nata, ex occasione quadam cum
quatuor virginibus Constantinopolim venit. Nectarius
ibi tum Archiepiscopus ex divina revelatione illas
suscipit, et salutari baptismatis unda tinxit. Vene-
randa porro Dominica solitariam vitam complexa, et
virilibus exercitiis laboribus, ad summum virtutis
culmen provecta, a Deo multis admirandis operibus

dignata et illustrata est, multisque, quæ eventura
erant, vaticiniis editis, ad Dominum migravit. *Hacte-*
nus Menæa. Imperarunt qui hic nominantur Imperato-
res, Theodosius Magnus, a 16 Januarii, 379 usque
ad 17 Januarii, 395. Leo Thrax a 7 Februarii 437,
usque ad initium anni 474. Zeno a mense Februar.
an. 474 usque ad an. 491. Nectarius an. 381 creatus
Constantinopolitanus Episcopus, sedit usque ad 27 Se-
ptemb. 397 coliturque a Græcis xi Octobr.

3 Dominicam celebrat quoque *Menologium Christo-*
phori Proconsulis Mitylenæi, et epitome Maximi Cythe-
ræi. Tres simul recenset Calendarium Græcorum a
Genebrardo editum his verbis : Domneca. Georgius
Chozebites. Æmylianus Confessor. Eorundem memi-
nit Græcorum Horologium : Sanctæ Matris nostræ
Dominicæ, et SS. PP. NN. Georgii Chozebite, et
Æmiliani Confessoris.

NOT. 125.

DE S. SEVERINO PRESBYTERO NORICORUM APOSTOLO.

AN. CH.
CDLXXXII.
VIII JANUARI.
S. Severini
in sacris fa-
stis nomen.

Celebratur S. Severinus Presbyter hoc elogio a
Martyrologio Romano vi Id. Januarii : Eodem
die apud Noricos S. Severini Abbatis, qui
apud eam gentem Evangelium propagavit, et
Noricorum dictus est Apostolus. Ejus corpus ad Lu-
cullanum prope Neapolim divinitus delatum, inde
postea ad monasterium S. Severini translatum est.
De eodem Molanus in Addit. ad Usuard. In Norico
depositio S. Severini Abbatis, qui spiritu prophetiæ
et miraculis late claruit, et juxta Neapolim translatus
est in castrum Lucullanum. In recentiori editione idem
Molanus quæ in Usuardo dicuntur de S. Severino fratre
S. Victorini (de quo paullo inferius hoc ipso die) ad
hunc transtulit, his verbis : Neapoli Campaniæ natale
S. Severini: qui Severinus post multarum virtutum
perpetrationem, plenus sanctitate quievit. Plane hic
esse videtur Severinus qui Neapoli colitur, ut dicemus
cum de S. Severino Septempedano Episcopo erit sermo.
Meminit quoque S. Severini hoc die ms. Martyrologium
monasterii Richenbergensis in Bavaria, Bedæ præferens
nomen : Item in Bavaria provincia, Patavino oppido,
Severini Confessoris, viri sanctissimi, spiritu pro-
phetiæ præditi, cujus vita habetur. Maurolycus : In

Pannonia prope Noricum parvumque oppidum Asta-
rim, Severini Abbatis, viri prophetico spiritu mira-
culisque clari, tempore Attilæ. *Sed multipliciter hal-*
lucinatur Maurolycus : Nam in Norico ipso, sive Austria
mortuus est; non Astari, seu potius Asturis, sed juxta
Flavianas, sive Viennam; nec Attilæ tempore, sed xxviii
annis post ejus mortem, id est fere sexennio ante victum
ab Odoacre Febanum, quod accidit Cos. Boetio solo,
anno Christi CDLXXXVII. Galesinius : In Noricis S.
Severini Abbatis, qui et spiritu prophetiæ, et vitæ
disciplina singulari, et rebus multis mirabiliter gestis
clarus, abiit ad Dominum. Ejus corpus Gelasii Pon-
tificis auctoritate, ab Victore Episcopo ad Luculla-
num oppidum, quod est prope Neapolim, translatum
est. Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum :
Severini Abbatis, qui defuncto Attila Hunnorum
Rege, prophetico spiritu, vita et miraculis claruit.
Martyrologium Germanicum prolicum ejus elogium
habet, sed in multis eget correctione; ut cum in Hungaria
juxta Astarim oppidum esse sepultum refert, atque in
Hungaria vivisse ipso tempore quo Attila late provincias
vastabat, etc.

2 Vitam S. Severini scripsit Eugippius Presbyter
ejus Vita ab Eu-
gippio scripta.